



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De Loco Vbi Feretra, & caetera id generis asteruentur. Cap. XXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

les, scilicet matrimoniorum, & baptizatorum, confirmatorum, & alia eiusmodi seruentur; tum etiam separato loco literę Pontificę, edicta Episcopalia, literę Episcopi pastorales quę in dies promulgantur; tum alia scripta ad ecclesię vel animarum parochiali curę commissarum regimen spirituale spectantia. Hęc tria armaria singula singulis clauibus tuto claudantur.

Eorum autem loco vnum solum armarium, locis tamen pro librorum scripturarumque ratione intrinsecus apte distinctum, extrui possit: vbi vel codicum scripturarumque paucitas, vel ecclesię exiguitas, non duo aut tria vt sup. requirit.

De vestiario insigniori.

Vestiariũ in sacristiis insignioribus ex eodem genere esse potest: in quo pretiosiora indumenta reconduntur.

Longitudine sit pro sacristię ratione: altitudine cubitorum circiter septem: profunditate duorum.

Pars huius vestiarij inferior duobus cubitis alta, capsulis ductilibus loculisve cõstet, superior verò à tergo angustius, à fronte aliquanto latius sensim patens nullis loculis distincta sit; sed tota sine distinctione longè patens, habeat ab vno & altero latere totidem pro vestiarij profunditate tenues aseres erectos, fibulisque ductilibus annexos, quibus singulis à superiori parte singula longiora inferiori suffixo fulcimento sustentata firmiter hæreant, vnde sacra indumenta expansa pendeant.

De armario indumentorum canonicalium.

SI cathedralis, vel collegiata ecclesia sit, habeat præterea armaria pro asseruandis super pellicis, ceterisque indumentis, quę canonici, & alij chori ministri in choro adhibere solent; vel eorum loco capsas decentes circum sacristiam sitas: quę vsui etiam sint ad dandum Capitulo, cum illud eoloci habeatur.

DE LOCO VBI FERETRA, & cætera id generis asseruentur.

Cap. XXIX.

Locus præterea alius Sacristię, aut cœmeterio saltem propior, in omni ecclesia parochiali, & collegiata apte extruatur: in quo feretra, candelabra ferrea grandiora, cœnotaphia, vasa olearia, perticę, scalę, scopę, ligones, batilla, sustentacula crucum, instrumenta ab abstergendi vsu accommodata, cæteraque id generis reponantur; vt ecclesia ipsa & sacristia, tum ab omni re indecenti, tum ab omni impedimento plane libera vacuęque sit.

Isque locus ostium habeat, valuis, pefulo, seraque bene septum.

DE ORATORIO VBI MISSÆ sacrum aliquando fieri debet.

Cap. XXX.

Conscriptis breuiter instructionibus, & fabricę ecclesiasticę, & partium adiunctarũ, consequens est instructio de oratorijs: quorum vnum est, vbi Missę sacrę aliquando fit; alterum quod in viis extruitur, vbi non celebratur.

Simplex igitur Ecclesia seu Oratorium eiusmodi sit, vt vna tãtum naui constet; cuius longitudo sit non minor cubitis duodecim; latitudo verò decem; & altitudo situs rationi apte conueniat.

Habeat præterea in capite capellã (quę si fieri potest, in orientem vergat) cubitis circiter octo, ampliusve, prout situs ratio fert, latè patentem; ea verò longitudine, & altitudine, quę cum latitudine conueniat.

Ad eius ingressum gradus vnus tantum sit; cui ex præscripta forma clathra infigantur.

Cuius altare, pauimentum, testum fornicatum, fenestrę, fenestella vrceolorum, campanula à latere appensa, & reliqua ita sint, vt de capellis altaribusve minoribus præscriptum est.

Ad altare verò ascensus fiat duorũ graduum: quorum vnus sit is, quem ipse altaris scabellum facit.

A gradu autem inferiori scabelli vsque ad clathra ima, spatium interuallum ve

lit